



# Disputatio juridica inauguralis de jurisdictione

<https://hdl.handle.net/1874/345165>

36.

DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
JURISDICTIONE.

QUAM  
SUB AUSPICIO SUMMI NUMINIS  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

JACOBI VALLAN,

M.D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,

NEC NON  
*Amplissimi Senatus Academici consensu, Nobilissimæque  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS.

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitime consequendis,

*Eruditorum examini subjicit*

CORNELIUS NAELHOUT, Verâ-Zelandus.

*Ad diem 26. Octob. horâ locoque solitis.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, cl<sup>o</sup> l<sup>o</sup> xci.

*Amplissimis, Reverendis, Spectatissimisque*  
**VIRIS,**

**D.D. PETRO NAELHOUT,**  
Reipub. Veranæ Scabino ac Confiliario,  
nec non Liberalitate Guilielmi III. Brit-  
tannorum Regis, Orientis Walachriæ  
Partis aggerum præfecto, Parenti meo,  
Mæcenatique unico, plurimum filiali  
amore venerando.

**D.D. SAMUELI FELLE,**  
Reipub. ejusdem Scabino ac Confilia-  
rio, Affini meo dilectissimo.

**NEC NON**

*Clarissimis Doctissimis Celeberrimisque VIRIS,*

**D. D. In Trajectino Palladio Doctrinæ**  
Univerſæ Professoribus, ex animi affe-  
ctione summo dum vivam Respectu  
colendis.

*Hæc Studii mei primitias in grati animi signum  
ea quæ decet observantia*

**CORNELIUS NAELHOUT.**  
*Auctor.*



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
JURISDICTIONE.

THESIS I.



Jurisdictionis Vocabulum, non à jure & ditione (ut perperam volunt nonnulli) sed à jure dicendo suam traxisse originem, sanior mihi ratio *l. 1. l. 10. l. 14. l. 18. l. ult. ff. b. tit.* varias in jure nostro sortitur significationes hæc vox. modo locum *ut l. 5. ff. de judic.* modo causam Jurisdictionis *l. 11. ff. de injus. voc.* modo exercitium denotat *l. 2. §. 1. ff. de of-*

*fic. ejus.* Verum proprie pro potestate magistratus jus dicendi accipitur *arg. l. 5. ff. b. tit.* idque vel strictè pro potestate in causis duntaxat civilibus jus dicendi, vel latè, ita ut vel merum etiam complectatur imperium; quia & in criminalibus etiam jus dicatur *l. 2. §. 23. ff. de orig. jur.* sunt & aliæ plures significationes; verum in hac ultimâ ac propriâ significatione vox summa nostræ potissimum erit considerationis.

II.

Est ergo jurisdictio (ut cum Clarissimo Joh. Voetio describamus) potestas publica judicandi & exequendi causas ad judicia

#### 4 DISPUTATIO JURIDICA

*spectantes sive civiles, sive criminales.* Ulteriori hanc descriptionem, præter dicta, indigere explicatione arbitramur nullâ, diutius idcirco huic inherere Rei, dum plurima adhuc dicenda, nolumus.

##### III.

In jurisdictionis partitione fere obtinet *illud Terentii quot homines, tot sententia. phorm. act. 2. scen. 4.* statuunt quippe nonnulli tot jurisdictionis species, quot sunt genera judicum. Triplicem faciunt jurisdictionem alii, superiorem nempe, mediam, & infimam. Alii alio modo. Verum omnium optimè titulo totius sane corporis Justinianæi intricatissimo (simul ut & definitioni nostræ satisfiat, quicquid obloquuntur alii, ac si usus magis quam artes foret) in civilem & criminalem dispescitur.

##### IV.

Jurisdictio civilis est potestas judicandi judicatique exequendi in causis civilibus publicâ auctoritate tributa. Hæc iterum in legitimam, vel nec legitimam non inconcinnè diffecatur.

##### V.

Legitimam vocamus, quæ expresso legis beneficio, nec non Senatus-Consulti, vel Principis constitutione à supremâ conceditur Majestate; huc tutoris datio *l. 6. §. 2. ff. de inel. prædiorum venditio minoris*, & si quæ alia hujus farinae sunt, pertinent.

##### VI.

Nec legitimam appellamus, quæ aliunde quam legis beneficio venit, hæc vero ordinaria rursus, vel extraordinaria.

##### VII.

Ordinaria est potestas de civilibus ac privatis causis jus reddendi, jure magistratus competens *l. 5. ff. h. tit. l. 1. ff. de offe. ejus. civi.* quam & propriam nuncupare quis possit.

##### VIII.

Extraordinaria est, quâ quis alieno hominis beneficio gaudet. estquè hæc vel mandata vel prorogata jurisdictionis.

##### IX.

Mandata jurisdictionis est, quam quis mandato ac concessione, pro-

propriò eam jure habentis exercet *l. 5. 13. 16. 17. ff. h. tit. & tot. tit. de offic. ejus.*

X.

Mandatâ jurisdictione omnia illa transeunt, quæ proprio jure sui magistratus habet is, qui mandat *l. 1. in princ. de offic. ejus.* non vero quæ ex speciali lege certis duntaxat magistratibus commissa sunt *l. 1. ff. h. tit.* & tantum poterit virtute mandatæ jurisdictionis mandatarius, quantum poterat ipse mandans, nisi quod jure non proprio agat, & personam demandantis representet, non suam *l. 3. ff. de offic. ejus cui. l. 16. ff. h. tit.* & quod rursus alteri demandandi potestatem non habeat *l. 5. ff. de jurisd. & l. ult. in prin. ff. de offic. ejus cui.* Verum hic delegandi modus apud nos in desuetudinem omnino abiit, quibus moris non est, ut magistratus suam jurisdictionem delegent.

X I.

Prorogata jurisdicção est, quæ extra terminos suos partium consensu extenditur *l. 1. & 2. ff. de judic.* ne quis hoc ita intelligat, velim ac si privatorum quis judicem facere eum posset, qui nulli antea præerat judicio, verum competentem duntaxat jurisdictionem prorogare, ac judici sese incompetenti subicere posse mens est *d. l. 1. ff. de judic. l. 14. 18. & 89. ff. h. tit. l. penult. Cod. de pact.* necesse quippe est à parte ejus in quem jurisdicção prorogatur, eum jurisdictione præditum esse. Prorogatio hæc vel tacite sit vel expresse *l. 1. 2. ff. de judic.*

X I I.

Jurisdicção expresse prorogatur, cum apertè pacto, vel stipulatione inter partes id actum est, ut alius, quam cujus jurisdictionis est, jus dicat *l. 18. ff. h. tit. l. penult. Cod. de pact. l. 1. ff. si quis in jus voc. non iverit.* quò apud Batavos frequentius nihil, quibus in obligationibus conscribendis prorogationis clausula vix omitti solet plerumque sub hæc generali clausula, subjicientes se jurisdictioni omnium judicum ac judiciorum, sub qua tamen Curie Hollandiæ jurisdictionem non contineri cautum est, *novissim. ampliat. instruct. Cur. Holland. 1644. art. 6.* nisi præterea specialem Curie prorogationem contineat.

## DISPUTATIO JURIDICA

### XIII.

Jurisdictione tacite prorogatur, quum quis ad judicem incompetentem vocatus, praetermissa illa exceptione, litem contestatus fuerit, quo ipsum judicem recognoscere intelligitur. *arg. l. 30. l. 52. ff. de judic. DD. ad leg. 18. ff. de judic. quae tamen prorogatio non nisi a sciente & consentiente commissa intelligi potest per d. l. 2. ff. de judic.* Secus in eo, qui putaverit, ejus judicis esse jurisdictionem, cujus revera non erat. Error enim litigatorum non habet consensum. *d. l. 2. ff. eod. in princ. junct. l. 15. ff. h. tit.* Et sententia ab incompetente iudice lata ipso jure nulla est citra appellationem. *l. ult. Cod. de non compet. judic.* nostris vero & Gallorum moribus, ex juris fortasse ignorantia inualuit, sententiarum nullitates ipso jure vix admitti, sed semper esse appellandum a sententia a non competente iudice lata, si modo ab eo iudice iudicatum sit, a quo appellare licet. *Vid. animum. & post eum Groenew. de legib. abrog. ad dict. tit. si a non compet. iudice.*

### XIV.

Tacita etiam prorogatio inducitur per reconventionem, tam ex parte conventi, quam reconventi, veluti si coram incompetente iudice conventus, omissa declinatione, contra petitorem convenientem, reconventionem coram eodem iudice instituas, hoc ipso in eundem iudicem videris consentire, neque ipsum in prima conventionis instantia declinare potes, rursusque si tu coram iudice non competente tuo, alium cujus forum sequeris convenias, is reconventionem adversus te coram eodem iudice instituere potest; quia in conventionem declinare non potest iudicem, quem ipse in reconventionem elegeris, rursusque nec eum in reconventionem spernere potest, quem in conventionem elegeris. *facit. l. 11. §. 2. ff. de iurisd. vid. Merul. prax. civil. lib. 4. tit. 2. cap. 14. num. 4. & seqq. andr. Gail. lib. 1. Observ. 37.*

### XV.

Ex ante dictis omnino (ut brevius simus) satis ni fallor constat, quam longissime Recto illos de tramite deflectere, qui cum vetustis doctoribus praeter prorogationem de persona ad personam

nam nec non de re ad rem, si res sint ejusdem naturæ, pro-  
rogationem etiam dari volunt de loco ad locum, & de tempore  
ad tempus, per quas judici potestas fiat judicandi extra suum  
territorium, vel ultra tempus numeri suo præfixum, cum u-  
troque casu magistratus non sit, sed tantum privatus. *l. 3. ff.*  
*de offic. præsid. l. 1. §. 4. ff. de offic. præf. urb.*

## XVI.

Verum enim verò, quandoquidem in reluctantes non raro,  
ac in invitos exercetur jurisdictio; coërcitione idcirco aliquâ opus  
est, ut adversus Refractarios effectum sortiatur. *l. ult. ff. de*  
*offic. ejus cui.* Hæc jam coërcitio vocatur mixtum imperium,  
quod est modica coërcitio per quam jurisdictio defenditur & id  
quod per jurisdictionem sancitum est, mandatur executioni.  
*l. 3. l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus.* Mixtum dicitur propterea quod  
cum jurisdictione conjunctum est, eique cohæret. *l. 1. §. 1. ff.*  
*eod. l. 3. ff. h. iii.* noli tamen putare cum. *Cujacio. 21. Ob-*  
*serv. 30.* (cujus sententiam laudat. *Wissenb. in th. 31.*) Juris-  
dictionem & illud imperium unum & idem esse; expressè enim ser-  
parantur. *per leg. 6. §. 2. ff. de tutel.* cum dicitur tutoris datio,  
neque imperii est, neque jurisdictionis. & *in l. 4. ff. h. iii. &*  
*l. 26. ff. ad municip.* restitutio in integrum, in possessionem mit-  
tere, & jubere, cavere prætoriam stipulatione magis imperii est,  
quam jurisdictionis. Jurisdictio quoque tantum consistit in no-  
tione, mixtum vero imperium in executione; & sic meritò bel-  
gicè distinguuntur in *Rechtsmacht* et *Rechtswaangh.* Ita ut  
ex his diversitatem mixti imperii ac jurisdictionis abunde liqueat.  
Superest autem dicere quænam sit essentia imperii, quod hic  
vocatur mixtum, & quibus competat. Consistit ergo in omni-  
bus, quæ manum & aliquam vim justam requirunt, veluti in  
multæ dictione, pignoris datione, carcere, omni modica coër-  
tione &c. *l. 19. §. 1. & seqq. ff. de pan. Suiholt. de jurisd. th. 322.*  
*& seqq. Vinn. de jurisd. cap. 7. Struv. exerc. 4. th. 64.* adscribi-  
tur illud imperium Magistratibus, non tantum majoribus, sed  
& minoribus ac municipalibus. *l. 29. §. ff. ad leg. aquil.* licet  
ea, quæ magis imperii quam jurisdictionis, sunt jure suo



## § DISPUTATIO JURIDICA

non habuerint. *l. 26. ff. ad municip. l. unio. princ. ff. Si quis  
jus dicent. non obtemp.*

### X V I I.

Jurisdictionis criminalis est notio de causis criminalibus cum animadvertendi potestate in reos criminum & vocatur merum imperium. *l. 3. ff. de jurisd. l. 6. princ. ff. de offic. procons.* quod & simpliciter imperii nomine interdum venit; dictum, quod sit solum, & separatum à jurisdictione, eamque non comitetur, nec ei cohareat. Hoc est, quod non jure aut more magistratus competat uti mixtum; sed ex lege vel speciali constitutione proficiscitur. *l. 1. ff. de offic. ejus civi.*

### X V I I I.

Definitur quod sit crimina cognoscendi judicandique, & gladio in reos animadvertendi potestas. *l. 3. ff. b. iii. l. 6. ff. de offic. procur.* gladii potestas hic sumitur pro jure vitæ ac necis, & pro qualibet aliâ graviore animadversione; nam exercetur aliquando per virgas & fustes. *l. ult. ff. de offic. pref. vigil.* Per condemnationem ad ignem, rotas, bestias, &c. *l. 6. princ. ff. ad leg. jul.*

### X I X.

Gladius enim apud veteres hujus potestatis insigne erat, sicuti hasta jurisdictionis. *Lamprid. in Alexand. in verbis honores gladii nunquam vendi passus est. Ciprian. lib. 2. epist. 2. cum ut hasta, illic & gladius & carnifex præsto est. Ita quoque Paul. In epist. ad Rom. cap. 13. v. 4. non frustra gladium gerit. Eodem Statius alludit. 5. Sylv. 2. sub fin.*

*En ingens referat tibi limen honorum*

*Cæsar, & Ausonii committit munia ferri.*

*Et mox; cuique sacer primum tradit*

*Germanicus ense.*

### X X.

Solet meri Imperii exercitium ad tres gradus revocari. 1. Qui vitam naturalem adimunt. *l. 8. princ. l. 2. ff. de pen. l. 203. ff. de verb. sign.* 2. Qui vitam civilem, seu jus civitatis Romanæ scilicet per deportationem. *l. 28. ff. de pen. l. 209. ff. de R. J.* 3. Qui utramque vitam nec adimunt, sed famam & existimationem faciunt. *l. 69. ult. l. 8. l. 28. ff. de pen.* Vidi-

## X X I.

Vidimus modò merum imperium quid sit, quomodo acquiratur, & quot modis exerceatur. Restat igitur, quibus adscribatur, & in quos exercitium fiat. Excercitium itaque una cum hujus imperii dominio constat, olim fuisse penes populum, cujus injussu non erat Consulibus licentia animadvertendi in caput civis. Postea verò *Imp. Hendr. pro Lo. hario contra Asonem* judicavit, quod merum imperium Resideat in principe tanquam in fonte, & ejus exercitium Solum Magistratui competat *l. 1. ff. de constitution. princip. l. 1. ff. de offic. ejus cui. §. 6. inst. de jure natur. gent. & Civil. huic non videtur obstare l. 8. ff. de offic. procur. nec l. 4. ff. de offic. præsid.* in quibus præses & Consul dicuntur majus imperium habere omnibus puta, excepto Principe; quia à Principe illud conceditur *l. princ. ff. de offic. ejus.* & qui concedit, nullus dubitat, quin habeat majorem vim, quam is cui conceditur: Principi ergò majus imperium quam ullis magistratibus esse liquet.

## X X I I.

Quæritur autem an concessâ jurisdictione per Principem concessum etiam videtur merum imperium Resp. negative per *d. l. 1. ff. de offic. ejus. & l. 6. ff. de pignorib. & hypothecc.* etiam per *l. ult. §. 1. ff. de offic. ejus & c.* Ubi dicitur mandatâ jurisdictione, imperium, quod non est merum, censetur mandari. His itaque ex verbis (quod non est merum) facile intelligitur mixtum, at non merum imperium mandari posse.

## X X I I I.

Hujus imperii exercitium regulariter fit in homines vivos, non mortuos *l. 6. ff. de public. judic.* Ratio est quia pœna præcipuè statuitur ad emendationem *l. 20. ff. de pen.* In mortuis tamen interdum pœna continuatur, nempe cadavera eorum, qui ultimo supplicio affecti sunt non humanantur, nisi concessum fuerit. *l. 1. ff. de cadaverib. punitor.* etiam in eo, qui in insulam deportatus fuerit pœna morte non cessat, nec licet eum inde transferre alibi & inconsultò Principe sepelire *l. 2. ff. eod.* nullis autem Cadaveribus eorum, qui ex conscientia criminis sibi ipsis violentas manus intulère, conceditur, ut sepeliantur. *l. 3.*

B

§. ult.

§. ult. ff. de bon. cor. qui ant. mort. Sed si quis neque accusatus, neque apprehensus, multo minus punitus, post scelus commissum, è vivis excefferit, morte crimen extinguitur. l. 3. l. 6. ff. de public. judic. l. ult. ff. ad leg. jul. majest. l. 20. ff. de accusat. exceptis tamen judiciis majestatis, Repetundarum l. 2. ff. de accusat. l. 2. ff. ad leg. jul. majest. l. ult. Cod. cod. peculatus & residuorum. l. 2. ff. ad leg. jul. Repetundar. quod & ad alia pleraque atrociora delicta in praxi extendi solet. *Farinac. variar. question. 10. numm. 77. & Gomezius 3. variar. Resolution. no. 7. & 79.* quia hodie pænæ non tantum ad emendationem, sed presertim ad terrorem aliorum irrogantur l. 31. ff. de possi.

## X X I V.

Extenditur illud imperium quoque ad bruta animantia, & id non propter sua duntaxat delicta, sed præcipuè propter adjuncta delicta hominum.

## X X V.

Ob sua delicta, inquam, bruta puniri, si ex peculiari quodam vitio hominibus damnum dederint. Tum enim societatis humanæ interest, ipsa in publicum proferri. Delinquent & bruta contra mûsuetudinem naturalem, ita ut mortalibus eâ ex causa penas debeant l. 1. §. 1. 4. 7. 11. ff. si quadrup. Pauper. fecisse dicat. Sic lege Mosaicâ bos, qui hominem interimit prolata sententia lapidibus obruitur: *Exod. 21. v. 28. & moruensis ad d. leg. 1. ff. si quadrup. paup. fecisse dicat.* dicit: canes ultimo supplicio affici ob hominem Religiosum discerptum.

## X X V I.

Propter adjuncta delicta hominum extenditur imperium, quod vocavimus merum ad bestias, si homo nefandâ libidine cum pecore habuerit communionem tum ad abolendam istius facti memoriam, & ne ex eorum aspectu, aliquis horror hominibus incuteretur, bruta occiduntur. *Thomas 1. 2. quest. 105. art. 2. ad. 11. Levitic. 20. v. 15.*

## X X V I I.

Diximus merum imperium acquiri lege, Sen. CSulto, vel Principis concessione l. 1. ff. de offic. ejus. non verò aliquâ præscriptione, quia non potest mandari d. l. 1. §. 1. & l. 6. princ. ff. de

*ff. de offic. procons. § l. 70. ff. de R. Jur. neque usucapi l. 2. Cod. de usucap. pro em o. l. 28. princ. ff. de V. Sign. & per consequens non præscribi l. 10. ff. decurion. huic lex 3. & 4. Cod. de præscript. 30. annorum. non videtur ob stare, licet in iis de omni jure sive publico, sive privato loquatur; quia hîc intelligitur tale jus, quod privatis actionibus persequimur & vindicamus.*

X X V I I I.

Jam satis dictum de mero, atque mixto imperio: transeamus ergo rursus ad jurisdictionis materiam, de quâ superest ut breviter enarretur, circa quæ versetur, quis sit ejus effectus, nec non quot modis finiat & defendatur.

X X I X.

Versatur itaque jurisdictio circa personas & res habiles; excluduntur ergo omnes illi, qui jurisdictioni præsent, uxores eorum & liberi *l. 10. ff. h. tit. l. 16. ff. nequis in sua causa jud. etiam qui extra territorium sunt (intellige hic loqui de jurisdictione contentiosa, non voluntaria, quam extra territorium expediri posse affirmatur l. 36. §. 1. ff. de adopt. exclusæ item sunt res ad aliam jurisdictionem pertinentes. l. ult. ff. h. tit.*

X X X.

Effectus jurisdictionis consistit in exercitio eorum, quæ vi jurisdictionis competunt *l. 1. ff. h. tit;* ut sunt in jus vocatio, litis contestatio, perpetuatio litis id est apud quem judicem lis capta est, apud eundem finire oportet *l. ult. Cod. de except. toll. dilationum concessiones, sententiæ pronuntiatio & executio. Modo judex intra suæ jurisdictionis terminos officio fungatur; nam extra territorium jus dicenti impunè non paretur. l. ult. ff. h. tit. l. 2. Cod. de interdict. l. 7. Cod. ne stat. defend. ratio supra dicta videtur in l. 3. ff. de offic. præsid. l. 1. §. 4. ff. de offic. præf. urb.*

X X X I.

Jurisdictionis finis est (1) mors ejus cui concessa est, quia est personalis (2.) tempore magistratus finito, veluti prætoris jurisdictionis anno (3.) revocatione per principem factâ, at non abdicatione factâ per ipsum magistratum, nisi principe consentiente, *l. penult. ff. de offic. præsid. l. 2. §. 24. ff. de orig. juris.*

(4.) non utendo vel male utendo quod moribus magis convenit. Prorogata autem jurisdictio finitur. 1. pænitiã antequam iudex est aditus. *l. 18. ff. b. tit.* 2. Solutã jurisdictione ejus cujus prorogata erat jurisdictio. *l. 6. ff. b. tit. l. 3. Cod. eod.* (3) finito negotio propter quod jurisdictio facta erat. *l. 55. ff. de judic.*

## XXXII.

Ad tuendam jurisdictionem, & ut iudicis Majestas a contemptu vindicetur; tria proposuit edicta prætor, primum est de albo corrupto. Cæterea videntur in sequentibus titulis.

## XXXIII.

Album est tabula de albata, in qua prætores singulis annis edicta proponebant, unde in *l. 1. §. 1. ff. de edendo. dicitur actor adversarium ad album producere.* Album corrumpere est detali tabula aliquid abscindere, abradere, tollere, aut quoquo modo circa eam quid facere in contemptum jurisdictionis. Actio albi corrupti est personalis (quia oritur ex delicto) prætoriana, competens cuivis ex populo, aduersus eum, qui dolo malo, non rusticitate, album corrumpit ad pænã 500. aureorum actori applicandam; & si reus non habeat in ære, luat in pelle. *l. 7. princ. & §. 3. ff. b. t. tit.* si plures simul corruperint in solidum omnes tenentur; quia plura sunt delicta, & singuli solidam pænã præstant. *l. 8. ff. b. tit.* filii familias ab hac quoque pænã immunes non sunt, nisi enim iudicatum præstent, corpore luunt. *l. final. ff. de in jus voc.* dominus etiam, cujus familia corrumpit, in singulos tenetur. *l. 2. ff. b. tit.* Secus autem si familia duntaxat dederit consilium, ut alius corrumpere. Quia illud videtur unum factum, pro quo una pænã præstatio sufficit. *l. 34. ff. de jujur.* atque hæc pro nostro modulo dicta sufficiant: interim.

— *si quid novisti rectius istis,  
Candidus imperti: si non, his utere mecum.*

# COROLLARIA.

## I.

*Procuratori liberam administrationem habenti bona vendendi potestas est.*

## II.

*Qui renunciauit suo foro, seque alteri iudici ex communi pacto subiecit, ab ipsa subiectione invita altera parte, rescilire non potest.*

## III.

*Possessor immobilium fideiussorem dare non tenetur.*

## IV.

*Reddito pignore non exstinguitur obligatio debitoris.*

*Transactio*

V.

*Transactio de re judicata, si adhuc appellari possit, valet.*

VI.

*Procurator omne mandatum carens, non admittendus.*

VII.

*Restitutiones in integrum rescindunt id quod summo jure civili validum est.*

VIII.

*Nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedere potest.*

F I N I S.

CORONA DOCTORALIS

OBLATA

THEMIDOS ALUMNO,

D. CORNELIO  
NAALHOUT,

quam summâ cum laude ꝑ. V. Doctoratum  
auspicaretur, Disserens de

JURISDICTIONE.



ENAAHOUT *Astræa* suis ornare coronis,  
Teque suo Lauro nunc cupit alma *The-*  
*mis.*

Abdita *Justitiæ Jurisque* arcana tenentem  
• JURIS DOCTOREM *Justitia* ipsa creat.

Tu comprehendisti non longo tempore jura !

Hæc sunt ingenii lucida signa tui.

Disseris nunc docte justè quis *dicere jura*

Jura doces hic quis exequierque licet

Fac tu sis rigidi juris servator & æqui,

Et tunc solvetur gloria summa tibi.

Felix qui servat sic justum juris amore !

Nunquam commotus vel prece vel pretio.

*Sic L. M. Q. cecinit*

FRANCISCUS VAN BERGEN  
dictus MONTANUS. J.U.D.



